[illegible]es Alexander.

[illegible] Episc. [illegible]ac. Konarski Stan

Polonae Provinciae Scholar. Piar. Sacrae purpurae gratulatio.

SACRÆ PURPURÆ

GRATULATIO,
EMINENTISSIMO
CELSISSIMO & REVERENDISSIMO
PRINCIPI,

JOANNI
S. R. E. CARDINALI

a Lipe

LIPSKI,

EPISCOPO Cracovienſi,

DUCI Severiæ.


Nomine Polonæ Scholarum Piarum PROVINCIÆ.

ANNO 1738. III. Non. Oct.

Pridie Comitiorum Regni.

VARSAVIÆ.
Typis S. R. M. & Reipublicæ Scholarum Piarum.

In Gentilitia RASTRA EMINENTISSIMI CARDINALIS.



Collegêre, quibus florebat Patria, Fasces,
Quasq; tulit Patrij Campus Honoris, Opes,
Purpureas jam RASTRA legunt & ſuavè rubentes,
E Vaticanis Collibus, iſta, roſas.

ORATIO.

NOn ſine ſingulari certoq; conſilio factum eſſe videtur, EMINENTISSIME PRINCEPS, quod ornamentum iſtud, ſacro Capiti Tuo, in tanta ampliſſimorum Ordinū frequentia, REX Noſter impoſuerit; judicaſſe enim ſapientiſſimū PRINCIPEM conſtat, Honorem, quo ornatus es, ad univerſæ Reipublicæ decus & dignitatem pertinere. Nam ut virtute unius præclari Civis, ita & unius Honore cæteri omnes condecorantur & inclareſcunt Cives. Unius ſiquidem præſtantis Viri laude illuſtrari cunctos; neminem ſoli ſibi natum, neminem ſoli ſibi vivere, in commune Patriæ decus omnes bonos laborare, in Rempublicam quod unusquisq; fecit redundare, ad illam omnem vitæ noſtræ fructum referri oportere, id ita ſemper præclarè exiſtimarunt ſanxeruntq; ſapientes. Quamobrem Patria jure ſuo, ſuam totam eſſe vult, ſibiq; propriam, uniuscujusq, & gloriam, & merita & præmia. Quare palam eſt, ſapientiſſimè id ita noſtrum ſtatuiſſe Principem, quod nimirum id, quod omnium intereſſet, in omnium oculis peragere inſtituerit, exornandoq; Tibi, & locum hunc longe frequentiſſimum, & iſtud Comitiorum tempus delegerit, quo nullum honorificentius eſſet, & Principi qui confert, & Tibi qui recipis, & Reipublicæ quæ partiri tecum tam illuſtre excellensq; videtur munus.

Adeoq; si summo Christianæ Reipublicæ Capiti, cujus in partem maximarum curarum assumptus es, si universæ Ecclesiæ, cujus inter Principes adlectus es, si amplissimo illi Patrum Purpuratorum Collegio, cujus majestatem & incredibilem apud homines opinionem auges eâ quâ præditus es sapientiâ & dignitate, si Regi nostro, cujus perhonorifico de te judicio & Suffragio hanc es adeptus Purpuram, magnæ causas attulisti lætitiæ; non minorem profectò de Tuo magnopere lætandi honore, eundemq; Tibi publicè gratulandi præbuisti causam, & Universæ Reipublicæ Nostræ, cujus præstantissimus Civis, & Sacro Polonorum Antistitum cætui, cujus Collega, & amplissimo Patrum Conscriptorum Senatui, quorum unus clarissimus Senator & Minister Regni, & Nobilissimo Equestri Ordini, cujus illustris Pars adeò, inter Primos Christiani Imperij Sacros Proceres es evectus; quod ut amplum Tibi ipsi, ita & jucundū ac perquam gloriosum est Patriæ. Nam ut ab hac quæ uti nos majorem in modum oblectat, ita Tibi gratam fore putamus, non discedamus sententia, eidem deinceps quoq; gratulationis nostræ argumento libenter inhærebimus. Quid enim præclarius de Te hodie cogitari diciq; à nobis potest, quam quod Tua hæc Purpura nedum eximijs Tuis in Patria & Ecclesia meritis, rebus gestis, virtuti & sapientiæ Tuæ copiosiorem splendorem lumenq; affundat, verùm etiam Reipublicæ non mediocrem lucem afferat.

Quantum profectò Romani hujus fulgore muricis EMINENTISSIME PRINCEPS & illustreris ipse, & Tuam illustres Patriam, facilè animadvertent omnes, qui & quanta sit Purpurati huius Ecclesiæ Senatus Dignitas, & quæ sit cujuslibet honoris vis & natura intelligunt. Ea enim vis, ea indoles honoris est, cujuscunq; ut merita & virtutes cum longe notiores cunctis clarioresq; tum etiam spectatissimas reddat. Ignota sit oportet & delitescat vel maxima plerumq; virtus, nisi illam magistratus & probaverit, & famæ, multorumq; proposuerit oculis. Contingit illi quod gemmis atq; adamantibus, quæ quamvis pretio quod ijsdem inest nequaquam careant, æstimatione certè tamdiu carent, quamdiu profundo maris aut obscuro telluris continentur sinu. Honor itaq; est, qui ex obscuro in apricum producit virtutem, qui quantum valeat detegit, estq; fax quædam & lumen virtutis. Quoq; ille sublimior & clarior, eò latiùs

hujus

hujus splendorem diffundit, eò hanc illustriorem efficit. Iam si Sacrum hoc, quo Ecclesiæ Principes cæteris eminent honoris culmen, fere summum est, necesse profectò est, ut vel maximè virtutem magnificam omnibusq; spectatam reddat. Dignitas hæc certe, quæ hodie in universo Ecclesiæ Sacro Principatu, à summi Pontificatus fastigio secundum tenet locum, quemadmodum non unius Provinciæ, Regni aut Nationis Limitibus definita est, sed ad universam Christianam Rempublicam pertinet, itá illum quem exornet, non uni Provinciæ, Regno, aut Nationi, sed latè Christiano, Orbi conspiciendum exponit. Quamobrem quid jam verius est, quam quod hæc EMINENTISSIMA Sacri Senatus, quam ascendisti curulis, Te & universæ Ecclesiæ spectandū exposuerit, & omnem Tuam anteactam cum laude vitam, omnia merita, virtutes omnes, ita illustrarit, ut quæ Sarmatiæ nostræ nota fuerunt, hodie jam remotis quoq; Christianæ Reipublicæ partibus innotescere Tua incipiant decora.

An enim ad quemcunq; demum hominum (quocunq; loco sit ille, modo quid sit hæc Purpura norit) ea fama pervenerit, creatum Te esse Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, an inquam eâ re auditâ non mox quivis eam de Te magnificam concepisse opinionem debuit, esse Te oportere unum é Dignissimis summisq; in Ecclesia Viris, qui tantum sis adeptus honoris gradum, oportere Te Religione, te pietate, Te sapientia, Te rectefactis & meritis, Te cæteris eximijs naturæ & ingenij ornamentis, loco huic pernecessarijs præstare & excellere. Hoc illustre de Te judicium mox cuncti statuant, talem te sibi mente concipiant, talē describant, hanc Tui imaginem animo objiciant necesse est. Adeoq; dilucidè iam satis vel inde liqueret quantum Tibi præcipuæ in Ecclesia DEI existimationis, quantum præclaræ de Tuis rebus opinionis, quantum lucis ab hac Romana Purpura necessario, accesserit.

Ubicunq; verò terrarum Christiani Imperij Te in Ordine Ecclesiæ Principum collocatum esse fama docuerit, præter hanc absolutam de Dignitate Tua opinionem, quam mox cuivis oboriri oportet, quilibet libenter singula nosse vellet, libenter interrogaret, quo genere, quo loco natus sis, qua ratione vitæ id præmij consecutus, quid egeris, quibus quasi gradibus ad hoc culmen pertigeris. Quoniam innata no-

bis est hæc quædam diligentia, de magnis Viris rara quadam usis fortunâ, velle omnia scire. Ego sane crediderim multis quidem in locis, præcipuè verò in illo Orbis Theatro Romæ, cùm à nostris, tum ab ipsismet Italis externisq; hominibus rerum multarum peritissimis, pleraq; de Te quæri, pleraq; jam hodie præclarissima narrari sciriq; Opinor inquam ab eo tempore quo Purpuratis Patribus accensus es & solenni proclamatus ritu, partim in plerisq; curiositatem excitatam fuisse discere ut velint, partim plerosq iā tantum quantum sufficiat didicisse & scire, partim alios libentissime audituros lecturosq; si quis hæc illis paucis ac sine fuco de genere initijs progressu auge & fortuna rerum explicaret

Genus. tuarū: Quā nimirū illustre Cardinalis LIPSCIJ Genus e Bohemia veteri Baronum Rasconum stirpe quæ ibidē hucusq; floret oriundū in Poloniam Venceslao Bohemiæ Poloniæq; Rege commigraverit, & ab eodem Rastrorum Stemmate exornatum nobilissimis vetustisimisq; in hoc amplissimo Regno Familijs accesserit. Floruissē semper in hac Familia Viros fortes rebus gestis & honoribus Reipublicæ clarissimos; ut de illis gravissimus centenos jam ante annos de nobilitate Polona attestatur scriptor (*Okolscius*) F*amilia hæc* (inquiens) *in tot florentissimas distincta Domos est.* LIPSCIJ *præsunt militiæ*, LIPSCIJ *Senatores agunt, Reipublicæ commoda promovent.* Adeoq; stirpem hanc fæcundam & veteribus pollentem opibus, in plures Regni Poloniæ Provincias propagatam atq; divisam; in majore Polonia in Russia in Belzensi ditione plurimos ac illustres Equestri Ordini ac Senatui dedisse Viros. Parùm enim verò interesse, longam nominum seriem texere & cui propriæ veræq; adsint, eum alienis ornare laudibus. Tai en cætera inter LIPSCIORUM decora nullatenus id silentio præteriri oportere, ex hac ipsa scilicet Gente, prodijsse ante annos ferè centum Virum illustrem & maximè commemorandum, ANDREAM illum LIPSKI Secretarium imprimis, tum Procancellarium, postea Cancellarium Regni, deinde Luceoriensem, Vladislaviensem, ac tandem Cracoviensem EPISCOPUM, Sanctissimum Sapientissimumq; Præsulem & Clarissimum Senatorem. Qui, & si plures virtute & famâ commendabiles ex hoc Genere Viri non sine laude produci possent, tamen ideo maximè nominan-

nandus venit,quod & præclaris illius exemplis,plurimum & ſingulari cuidam ejuſdem beneficio, (quod poſteris Domûs ſuæ reliquit) Cardinalis Princeps aliquid profectô debeat: quodq; Andreas velut abſolutum ad quod Tantus Pronepos formaretur exemplar, honorandus, ac veluti fons quidam unde prima illa Principi profluxerint ornamenta, coronandus ſit. Nam cætera inter egregia Andreæ de Eccleſia & Patria merita, cum libris ejuſdem de Iure doctiſſimis, tum virtutum rerumq; monimentis hucusq; teſtata, poſſumusne illud præterire ſilentiô, quod oppidum Chotecum in majore Polonia ſitum emptumq; cum Eccleſiæ adjeciſſet, atq; in eo magnificum Templum cum ſplendido Canonicorum, Sacerdotum & Almæ Academiæ Cracovienſis Magiſtrorum Collegio à fundamentis excitaſſet,liberaliterq; dotaſſet, Sventoslaum LIPSKI dignum ſe nepotem Loci Præpoſitum conſtituerit, atq; hunc Ipſum Sacrum Magiſtratum & Honorem laudabili erga Familiam ſuam providentiâ & Amore, dignis ſuæ ſtirpis, ſui Nominis, ſuarumq; virtutum Hæredibus, perpetuis temporibus eſſe proprium voluerit. Hoc illud enim vero eſt eximium ſuis de Poſteris benè merendi Genus. Talis ſui Nominis ſui ſanguinis Amor cum Eccleſiæ ac Reipublicæ bono conjunctus nihil Sanctitati diſciplinæ, nihil optimo mori derogat, eſtq; laudabilis etiam in Sanctiſſimis Sacerdotibus. Hunc igitur primum Honoris conſcendit gradum Adoleſcens iam tum ſpei raræ Cardinalis, & domeſtico ſui Proavi beneficio uſus,magnæ, ad quã creſcebat, in Eccleſia Fortunæ fundamenta jecit. Quare ANDREAS LIPSKI Cancellarius Regni & Cracovienſis Præſul inter ejus clariſſimos majores neceſſario & maximè cum de Cardinali res agitur commemorandus eſt, tum quod Virum hunc in Eccleſiâ & Republica celeberrimum quaſi exemplar ſibi ſemper ob oculos propoſitum haberet, atq; (quod ſingulare eſt) eundem in munere Procancellarij Regni, eundem in Luceorienſis, eundem in Cracovienſis Pontificatûs dignitate, quaſi veſtigijs præcedentis inſiſteret, ſecutus ſit; tum ex eo, quod primum beneficium Chotecenſe peramplum,Poſteris Domûs LIPSCIANÆ in pignus ornamentum & opem donatum ab ANDREA acceperit: quo tanto commodo nihil opportunius ad dignam ſuo & genere & ingeniô

educationem obtinendam adoleſcenti tum deſiderari potuit. Eum itaq; vitam à Clariſſimis in Republica & omni Honore ornatiſſimis Majoribus, ſed honoris fortunæq; in Eccleſiaſtico Ordine felix initium, ſed Virtutum Sacerdote & Præſule dignarum normam ab Ipſomet liquet accepiſſe ANDREA.

At vero cum ego hæc de Te, Princeps, quaſi aliud agens narro, Teq; ex hac Illuſtri Familia ortum, hæc Tua tantorum in Eccleſia decorum ab ANDREA initia, & veluti primam quaſi Sacræ fortunæ ſementem, nec ſatis quidem cogitando, non tam oſtendo, quam utcunq; innuo, nec Polonis quidem, nam hi & Genus Tuum & res ac laudes Tuas norunt optimé, ſed extraneis loqui quidpiam de Te cæpiſſe mihi videor hominibus, rem ita cæptam eſſe animadverto, ut, nec falſo fortaſſe, exiſtimem, ab ijsdem & hæc gratè audiri, & ut plura de Te dicantur cupidè expectare, ac fonte detecto, reliqvum velut magni fluminis curſum, licet in quadam exigua tabella depictum, velle illos videre, velle ſequi, velle obſervare. Tuæ enim res Princeps jam unius Patriæ limitibus claudi hodie non poſſunt: hæc eſt conditio Tuæ Purpuræ, ut ſcire quem illa ornet, multarũ Nationum, multorũ populorum interſit. Quare pergamus. Sic enim mihi videtur, interrogari me ab illis quibus loqui cæperim, Chotecenſi Beneficio liberalitate Majorum ſuorum accepto, quid deinde? quid plura?

Bonarum Literarum ſtudia.

Abſoluto videlicet in Poſnanienſi celeberrimo *Societatis JESV* Gymnaſio, bonarum literarum ac Oratoriæ facultatis, cæptoq; ſcientiarũ curriculo, Romam, illud omnium Artium ac ſcientiarum domicilium ac ſedem petijt. Collegium enim vero *Societatis JESV* Romanum, in quo ſi ubi in Orbe terrarũ artes omnes ſcientiæq; eximie florent, quod nec Athenæo nec Licæo veteri cedat, unde ſummi Pontifices & innumeri Cardinales, Præſules, Principes, celeberrimi virtute & omni eruditione Viri, ceu totidem ornamenta Italiæ multorumq; Regnorum & Rerumpublicarũ prodierunt, Collegium inquam, illud teſtetur, imo vero hæc ipſa qua Cardinalem ornatum videmus, melius teſtetur doctrina, quantos ibidem in Philoſophicis in Mathematicis & Theologicis diſciplinis, quantos in Juriſprudentia, in utraq; hiſtoria conjuncta cum linguarum peritia, progreſſus fecerit.

Jam

Jam inde peregrinatione per universam Italiam, Galliam, Belgium, Germaniam diligentissimè instituta, ostendit, multum naturæ viribus, plus excolendo, cujusvis valere ingenium: & nedum laudandum sed & imitandum esse hac in re veterum sapientum morem, qui vel medijs Athenis aut mediâ Româ nati, tamen iis quibus sua abundarent in Patria non contenti disciplinis, sed maxima divinas humanasq; res omnes discendi cupiditate incensi, etiam extra Patriam in remotissimis Regionibus virtutem & sapientiam quæsierint, quo præter domesticas externis quoq; comparatis opibus, tutandæ, ornandæ, augendæq; Reipublicæ magis esse possent idonei.

Peregrinatio & ornamenta animi.

Horum Te Princeps æmulatum fuisse laudes ille facile intellexerit, qui consideret, quantis animi ingenijq; cumulatus ornamentis Patriæ Tuæ redux affulseris. Cui enim melius, quam Tibi cognita est Nationum indoles, & earum uniùs cujusq; origo, fortuna, incrementa, vicissitudines, occasus; cui melius perspectæ quam Tibi sunt diversæ administrandarum Rerumpublicarum rationes, Religiones, Dominationis & Potentiæ firmandæ arcana? quis Te penitius novit, quæ cuiq, Principi terra mariq; vires, quæ Artes dominandiq; leges, qui socij, qui hostes, quæ fæderum fides, quæ commerciorum diligentia, quæ ærarij & copiarum ratio, quæ Magistratuum & muniorum discrimina, quis justitiæ populis reddendæ modus? quis te sine maxima animi voluptate auscultet, cum sive de Principum, sive de Regnorum & Rerumpublicarum, sive de illustrium in ijsdem Virorũ & Ministrorum rebus, virtutibus, vitijs, quæstio ac sermo t solet, exoritur? Felix ille, infelix alter, hujus Nationis res florentes sunt, afflictæ alterius, hic quod proposuit assecutus est, illius labor & conatus delusi, hic gratiâ Principis & populi ad extrema vitæ usus est, alter excidit, huic cui nihil nisi mediocre aut infimum insit, cuncta parent, ille summis rebus aptus sed neglectus delituit, cur id ita? quibus gradibus boni, quibus cuniculis pravi ad summa perveniunt, quibus principijs, quibus medijs vijs utriq; hos consequntur fines, quid in rerum eventu sapientiæ, quid animo, quid fortunæ, quid errori, quid malis artibus, quid virtuti tribuendum in quoq; sit, Tu clarè, Tu sapientissimè decernere soles. Jnde prompta ac certa Tibi etiam

in subitis arduisq; consilia rebus, nam quavis in re cum domestica tum externa facta, & causæ & modi rerum mox Tibi obversantur animo: nemini quam Tibi facilius ab exemplis & præjudicijs de re quavis decidere, in aliena imprudentia errores vitare, aliorum sana consilia in Tua vertere. Hæc adeo necessariarum & tam publice quam privatim utilium rerum notitia, omnibus comparata Tibi est adminiculis, natura imprimis &ingenio perspicaci, facili, solido, tum studio literarum, ac scientiarum diligentissimo, peregrinatione foris, rerum experientiâ domi, deniq; accurata & continua omnis historiæ, exactissimæ critices optimorumq; lectione librorum. Adeô enim volvendis & veterum & doctissimorum hac tempestate hominum monimentis constat vel à teneris te fuisse deditum, ut hoc pulcherrimum oblectamenti genus Tibi à consvetudine in naturam transisse, lectissimamq; ex ijs quæ hucusq; lecta Tibi & animo impressa sunt, bibliothecam posse conflari existimem.

Reditus in Patriam. Quid aliud quã hanc, diuturnis rerũ humanarũ Divinarũq; studijs, externarum Gentium usu, assiduâ lucubratione & majore in dies experientiâ comparatam eruditionem, & doctrinam Tuam raræ Virtuti conjunctam, suspexit & adamavit in Te sapientissimus ille Pontifex STANISLAUS SZEMBEK Archiepiscopus Gnesnensis & Primas Regni, qui Te à peregrinatione reducem, cum omni virtutum resplendere laude, cum templa ac conciones populi sacrâ Tua inflammari eloquentiâ, cum Tua consvetudine, Tuis sermonibus & incredibili ingenij Tui copia saciari se non posse animadverteret, Te mox tanquam præcipuum arbitratus Archi-Diæceseos Decus, inclyto Canonicorum Gnesnensium Collegio adscribere, Te Capituli, Te suæ Ecclesiæ negotijs præficere, Tuis uti consilijs, Tuâ juvari operâ non dubitavit. In recenti fere omnium memoria est, quanta religiosissimus hic Princeps benevolentiâ prosecutus Te fuerit, quam Tu de Illo, ille de Te bene mereri studuerit. Quodq vivens ut optaverat ob temporis brevitatẽ non potuit, ultima certè voluntate sua quid de Te sentiret ostẽdit, cum Tuæ singularius fidei & executionem sui Testamenti mandavit, & in eodem res rationesq; Tuas, Regi, per Fratrem suum IOANNEM SZEMBEK clarissimum Illum

paucisq;

paucisq; comparandum Regni Cancellarium moriens quam maxime commendavit cum adeo illuſtri de dignitate, ingenio, doctrina, & virtute Tua teſtimonio, ut id tanti de Te Primatis elogium paulo poſt & ad ſapientiſſimi Regis & ad Reipublicæ notitiam, cum ingenti famæ & gloriæ Tuæ incremento pervenerit. Indicia enim vero omnia magnorum virorum, ea vero præſertim, quæ morti jam proximi protulerunt, ut ab aſſentandi placendiq; ſtudio & cauſis remota, ita omnino vera & maximi ſolent eſſe momenti. Tum præſertim dubitandum non eſt, minime ſuſpectam eſſe alienæ commendationem virtutis, cum ille qui commendat, & recte judicare poteſt, & nulla ad id propriæ utilitatis ſpe duci ac impelli videtur, & quem commendat, illum prius non fama, ſed ſuo ipſius novit diuq; examinavit judicio.

Tale de Te Princeps, ſummi illius Sanctiſſimiq; Viri jam humana omnia deſerentis, conſtitutum in ſolida Tui cognitione teſtimonium animiq; ſententia, cunctorum de Te conſenſu & opinione probata, aut potius virtus Tua, quid mirum eſt, ſi tantam AUGUSTO II. perſpicaciſſimo Principi, ſi tantam Miniſtris Regni & Primoribus omnibus ac Optimatibus Reipublicæ, ſi tantam Præſenti Celſiſſimo Regni Primáti de Te opinionem injecit, quantám deinde in Te certatim honoribus ornando, in mandandis Tibi præclariſſimis Reipublicæ muneribus luculenter declararunt. Honorifico itaq; Cuſtodis Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ munere decoratus cumprimis fuiſti. Sed Tuumne illi ingenium, Tuamne virtutem, Tuàmne ſapientiam, his duntaxat limitibus circumſcribi arctariq; paterentur? differrent diutius emolumenta ampliſſimosq; fructus, quos à Te Patria certiſſimè præſtolabatur? Intererat univerſæ Reipublicæ ut tandem è Gneſnenſi nido in apricum magnamq; Reipublicæ lucem quantocius evoláres. Quare ſupremus Tribunalis Regni Præſes factus, ſummoq; qui Juſtitiam univerſæ nationi adminiſtret Magiſtratui admotus, ſummo loco & muneri ita te mox exhibuiſti parem, ut Regiã illam ordinumq; Reipublicæ Authoritatem ſupremam, Tibi imprimis Præſidi Areopagi commiſſam, maxima cum dignitate & laude geſſeris. Ille qui probe intelligit, & hujus majeſtatem Judicij, utpote cui præſtantiſſimũ jus majeſtatis ſine provocatione cuncta decernendi cõpetit, & quo tandẽ cenſeatur in

Tribunalis Regni Præſideus.

C Repu-

Republica loco supremus Justitiæ Sacro ex Ordine Præses, sacerq; Prætor (ut aliquam à summa illa apud Populum Romanum Prætura mutuemus imaginem) ille sane qvi hæc probê intelligit, facilè animadvertet, quantam existimationem de Te, Princeps, illos habere oportuit, qui cum Te primum, ad administrandam Rempublicam admoverent, tantum Authoritatis & honoris mox Tibi tribuere non dubitarint. Quam plene in hoc loco principe permagnæ de Te omnium opinioni responderis, aut eandem etiam superaveris, quam accuratè omnes tanti magistratus partes expleveris, qua religione, æquitate, innocentiâ, sapientia, prudentia, fortitudine animi, cæterisq; præclaris artibus cuivis Judici necessarijs Toti Reipublicæ Te commendaveris, pluribus id me commemorare non oportet, quám quod mox à suprema Tribunalis Regni administratione, ad Senatum, ad Ministeria Regni vocatus, honorificentissimo Procancellarij Regni munere insignitus, Regem, Rempublicam, Senatum, Ministros Regni Collegas, Equestrem Ordinem, universamq; Patriam singulari lætitiâ cumulaveris. Aquila ergo (vetustissima Regum Regniq; imago & stemma) in LIPSCIANAM domũ cum Sigillis Poloniæ si ita dicere liceat, remeavit centenis fere annis, postquam inde è manibus ANDREÆ LIPSKI supremi Cancellarij Regni avolaverat.

Minister Regni Procancellarius.

Ascendisti itaq; honoris gradum, quo nullus, ut illius in semet conditio præclara est, in Republica spectabilior, aut merendo aptior, aut Principis favoribus propior, sed eodem quoq; tempore quo nullus omnino laboriosior; præsertim ut Tibi quidem contigit, quod Totum Publici hujus Ministerij onus Tuis solius incubuisset humeris, aut fracto iam tum maximis pro Republica exantlatis laboribus, aut deinceps ad immortalitatem translato supremo Regni Cancellario, cujus omnes partes Procancellarius, laudabiliter, & maximo cum Principis, qui Te sapienter delegit, tum Tuo, qui delectus eras, honore, exercuisti. Sanè qui hac de re ex æquo judicare velit, fateatur oportet, multo quidem dificilius esse Ministrum Regni in Polonia quam alibi maxima commendatione agere. Quemadmodum enim alibi, Regibus satis est voluisse, ita & eorum Ministris satis est bene consuluisse. Consilia autem ibi oportet sint efficacia, ubi illis mox efficiendis adest suprema Potestas Principis. Quodq;

Ministerij Publici difficultas.

commo-

commodissimum est, ubi, uni tantum consulitur. Unius quippe animo, ingenio, indoli, accomodanda est omnis consulendi agendiq; ratio, cæteri probent aut improbent perinde est. Parta vero fiducia & opinione Principis, tum secura Ministri Authoritas, tum secundus Consiliorum successus, & secundis omnia procedunt ventis, tum certæ aut acclamationes populi, aut vero patientia & reverentia Imperij. Quare, qui in Gallia aut Hispania Ximenios, Portocarreros, Richelios, Julios, cæterosq; satis demirari non potest, eo maxime felices illos fuisse cogitet, quod quivis illorum uni obnoxius, uni duntaxat Principi studuerit, unius judicio & voluntate Principis munitus, quæ recta, quæ utilia, quæ tuta, quæ gloriosa sensisset, mox etiam mandaverit operi. Secus hæc in populari statu, ubi Campus atq; undæ illæ Comitiorum, ut mare profundum & immensũ sic effervescunt, ut in quodã quasi æstu ad quod littus navim Reipublicæ dirigas, aut quem ventum sequare, nescias. Non eadem ibi boni fortuna consilij; incredibilis deniq; ars & labor ingenij, bene merendo, nec Majestati nec libertati suspectum reddi. Magna quidem vitæ Tuæ pars, Princeps, huic tam arduæ Provinciæ studijsq; insumpta est, duodenis enim fere annis & temporibus quidem Reipublicæ difficillimis hanc ministerij publici indolem fortunamque expertus es.

Sed quæ eo tempore egeris illustrius Tibi testimonium ad posteros acta dabunt Reipublicæ, quam nostra Oratio. Tũ enim opportunê fortasse aliquid de Tuis rebus gestis, de laudibus ministerij Tui proferremus, si ut tibi perspecta sunt, ita nobis perspecta essent ea omnia, quæ tum gloriosè gessisti. Sed intelligimus bene, quod quæcunq; de Te Ministro Regni diceremus palàm, illa essent, quæ nullatenus comparari possent iis, quæ dici deberent. In Ministrorum autem laudibus id minimum censendum est, quod ijs laudis tribuitur ex manifesto. Occurrunt quidem omnium oculis labores Tui Princeps, quos Procancellarius pertulisti in duodenis Comitijs Regni, partim auspicato, partim inauspicato celebratis, quæ si cui, certe illi, qui Os & Interpres Principis & Reipublicæ Majoribus nostris nominatus est, gravissima & laboriosissima sint oportet, & quoddam, ut nostrates dicere amant, *Martyrii* pro Republica genus. *Labores.*

 Occur-

Occurrunt cuivis pares Tui labores in totidem fere aut plu-ribus Senatûs Consultis: in quibus omnibus Ordinum Regni conventibus eloquentia illa, qua non dignius Majestas meminit sese Romana locutam, Rempublicam ornasti, Consilijs illustrasti, responsis à Throno exhilarasti. Nomine Reipublicæ Senatorem bene consulentem, Nomine Principis Ministrum bene respondentem, ita feliciter conjunxisti, ut ad utrumq; natus esse videreris, incredibili utrumq; labore, sed pari gloria. Certe id cuivis, dum non sit Peregrinus in Patria, satis constat, in ejusmodi solitis Reipublicæ totius congressibus, nulli majorem rerum molem cum privatim tum publice pertractandarum quam Regni Cancellarijs, tam a Principe, quam ab Ordinibus incumbere, cui ferendæ Tuos pares humeros, par ingenium semper vidimus. Facile quoq; in memoriam redeunt sudores Tui in negotijs gravissimis, quæ Rempublicam inter, exterosq; Principes continuo intercedunt pertractatis, in legationibus aut suscipiendis aut mandandis, in actis Reipublicæ posterorum memoriæ tradendis. Quid dicamus de continua Judiciorum nomine aut Authoritate Principis à Cancellarijs quovis tempore peragi solitorum diligentia, deq; singulari Tua in ijs administrandis sapientia & Justitia? quid de assiduitate circa Principem, quæ præstantissima Ministerij virtus est, qua semper tam intra Regni limites, quam extra eosdem, Principem magnis itineribus secutus, cum eoq; pro partibus muneris Tui in Saxonia non semel dimoratus, singulari quidem totius Patriæ sed & Tuo honore, unus sæpe Regi Rempublicam commemorare & repræsentare, unus Patriarum legum integritati invigilare & consulere debuisti. Quis ille præterea labor, cum maxima quidem dignitate sed & cum invidia conjunctus, Tuo autem tum muneri proprius, necessitates, causas, negotia resq; cunctorum Principi referre, dignos ad quosvis in Ecclesia & Republica, honores, ad Senatum, ad Magistratus, munia, Præfecturas, præmia, commendare; innumeris Privilegijs, muneribusq; Regijs fidem publicam adstruere: quæ omnia quanta obieris gesserisq; fide, & Religione quam exacta & assidua diligentia, publica Magistratus Tui testatur hucusq; approbatio. Dici itaq; potest, Princeps, alijs, cum Reipublicæ dant operam indulgentius aliquid prospectum esse, quod suo interdum tem-

pore

pore.otioq; ut libet frui possint, Cancellarij laboriosissimam esse totius vitæ rationem, cum suorum commodorum quietisq; oblivisci, nec sibi sed alijs semper vivere oportere: Multis multa incumbere, Cancellario omnia, nihil agi in Republica cujus in partes suo munere non vocetur. Quid enim (dicamus de maximi momenti rebus) Te Ministro annis illis fere duodecem actum est, ut qui de ijs rebus historiam fortasse conderet, non Tui ubivis locorum cum honore commeminisset? Ille Torunensis causæ perhonorificus Religioni exitus; illæ annorum aliquot graves agitationes circa militaris Imperii Jura assertaq; summo Duci exercitus indivisa auctoritas; illa Curlandiæ ac Semigalliæ vindicatio & jura Reipublicæ defensa; illa Tribunalis Regni restauratio, Res cum Romana curia actæ; de Jmperatorijs fascibus difficultates permagnæ, causæ Neoburgicæ Judicia, fædera cum vicinis renovata, Interregni, Electionis, sequentiumq; temporum vicissitudines, restituta Reipublicæ tranquillitas, cuicunq; hæc & id genus memorabuntur, necessario Tuam ubivis ministri virtutem, sapientiam, consilia, solertiam, miram vim agendi goriâq; misceri & elucere animadvertet. Magna ergo hæc sunt notaq; omnibus, quæ de Te prædicari possunt, sed quotus ad ea pertingat quæ secreta sint ab oculis vulgi? qua probitate & integritate ex honesto & æquo omnia egeris, quam cuncta Politices principia ejusq; communes & occultiores regulas & plane intimeq; cognoveris, & ijs ad rationis religionis justitiæq; libellam examinatis recte usus fueris, quibus alij ideo plerûq; flagitiose abutuntur, non quod Principia legesq; Politices pravæ sint, sed quod pravi homines ijsdem utantur. Qua arte Principis animum tractaveris, qua invidiam superâveris, qua prudentia, consilia certa a dubijs, apparentia, & inania à tutis discreveris, qua perspicacitate ingenij remota provideris, qua industria ita bene mereri de Principe, ut Reipublicæ, ita prodesse Reipublicæ, ut Principi gratus esses, studueris; quo studio majestatis libertatisq; rationes componere, illud pro ministri hoc Pro Senatoris munere laboraveris; hæc enim vero non oratione celebrare, sed ut in temet sunt relinquere arcana præstiterit. Itaq; cum singulari apud Rempublicam existimatione floreres, non minori apud Principem Te gratia excelluisse cum multis, tum præsertim ea præcipua Regiæ erga Te benevolen-

 tiæ

tiæ ſignificatione conſtitit, quod Te paulo poſt collatos miniſterij faſces in præſtantiſſimum, lectiſſimumq; illum Equitum Albæ Aquilæ Ordinem Auguſtus ſecundus cooptaverit, hisq; præclaris inſignibus Tibi ante Senatoriam Pontificiãq; Purpuram oblatis, Tuã diſtinguere a cæteris dignitatem voluerit.

Eques Albæ Aquilæ.

Semper ſane id Tibi Princeps ampliſſimum erit ad poſteros, quod primus in univerſa Republica ex Ordine Eccleſiaſtico hoc tam excellenti ornamento & munere à Principe ornatus ſis, quod decus hoc eximium in Eccleſiaſticum Ordinem Primus omnino invexeris.

Luceorienſis Epiſcopus.

Nec vero ſua ornamenta & præmia, quæ Tibi ampliora parabat, Eccleſia quoq; diutius eſt morari paſſa, cum Sanctiſſimus Chriſtianæ Reipublicæ Arbiter Pontificis Luceorienſis Epiſcopatus Tibi deſignavit faſces. Cui Sacræ Provinciæ fere ſexennio Præfectus, boni Paſtoris ſolicitudine, ſanctioris diſciplinæ laude, magno Religionis & Pietatis firmandæ ſtudio, vigili Sacerdotalis ſanctimoniæ & doctrinæ in hominibus Deo dicatis cura, cæterisq; Præſule dignis virtutibus, tantum effeciſti, ut ad ampliſſimam Cracovienſis Diœceſeos Cathedram ſuffragio Principis, applauſu populi judicio & voluntate Chriſti in terris Vicarij, eveheteris; idem tandem eveniret, quod clariſſimus, & judicio omnium, ſapientia omniq; laude ſummus Antiſtes, qui hanc ipſam modo ante Te ornarat curulim, Princeps ille Szaniavius, Tui amiciſſimus, quodammodo vaticinari Tibi fuit ſolitus. Sed dignitas & virtus Tua fecit, ut Sapientiſſimo illi homini difficile non fuerit fata Tua dignoſcere, & quid de Te futurum eſſet divinare.

Cracovienſis Epiſcopus.

Interregnum.

Hic jam ille AUGUSTUS Secundus nunquam nobis ſine optimi Principis nomine & opinione commemorandus tum cum maxime Reipublicæ vivere debuit, terris ereptus abſolutam vera & maxima cum laude vitam immortalitate permutavit. Tempus tum in Republica, quale ſolet, conſecutum eſt; quo cũ cuncti cives æque bene Patriæ voverent diverſis quidem, ut in libero populo, opinionibus & ſtudijs, quaſi diverſis vijs & itineribus, ſed eandẽ omnino metam, eundem terminum utriq: petierunt, ſalutem nempe publicam & bonum Patriæ. His & illis, ſua ſententia; ſua in eum finem agendi ratio probabilis aliquandiu videbatur;

ſed

sed illa demum felicior meliorq; , quæ ab ipsis probata est Dijs, & in quam utriq; tandem, uti certissimam, & maxime salutarẽ, libentissime convenerunt, cum humanis erroribus, in quos mortales ignorantiâ fatorum impingunt, sapientissime finem Deus imposuit. Utinam vero Princeps eadem mens fuisset cunctis, quam felicius vel ipso principio Tu Divino quodam afflatam lumine persensisti. Tu enim iñ delectu salubrioris, eam mox sententiam rationemquè amplexus es, ut tuta potius quam speciosa, certa quam incerta malueris. Tu cum viro illo sapientissimo Tecumq; ita statuisti: *propius majusq; esse à potente Vicino periculum, quam à remoto quamvis æque potente amico præsidium.* *In vita Cardinalis Rychelij le Clerc: lib: 5.* Itaq; cum probe nosses quam parum prosit, magno ingenio bonum invenire consilium, nisi idem pari suscipiatur animo, & bene consulta fortiter asserenda esse, summa constantia, infracta patientia, incredibili robore animi, consilium quod aggressus es, tueri eousq; non desiisti, donec idem, ut semper credideras, toti Reipublicæ salutare eveniret. Non fuit recusandum, quin in tanta difficultate temporum Reipublicæ, multa fortissime pro ea Causa quam Patriæ utilissimam sensisti, pertuleris; sed crediderim quod Honor qui Tibi divinitus destinatus fuit, quemq; deinde consecutus es, quod Potentissimum AUGUSTUM Tertium, religiosissimum, justum, pium, fortem, optimumq; Regem, itemq; parium virtutum Principem, atq; eam talem, qualis libero populo optari potuit, Reginam, cælestibus auspicijs, Tuis manibus coronaveris; Honor hic inquam crediderim omnem eorum quæ fortasse perferenda erant, omnemq; gravissimorum laborum Tibi ademit sensũ. Fruere jam hoc bono tuo, amplissimoq; contentionum tuarum fructu! fruere nobiscum PRINCIPE, quem DEUS, quem Regiæ virtutes omnes, quem Religio, quem fortuna Reipublicæ, Regem esse voluerunt, quem Libertas ipsa, quo propius inspicit meliusq, agnoscit, sibi natum liberæq; nationis regendæ artes omnes assecutum, sibi divinitus oblatum, lœta animisq; gestiens gratulatur.

Studia Pacificandæ Reipubl.

Multa fuerunt hoc rerum intervallo, Princeps, quæ præter sanctam, mitem & imperandi legibus à natura imbutam Regis nostri indolem, sapientiæ quoq; consiliorum, cum á Te, tum ab alijs profectorum, in acceptis referre oportet. Modum in fortuna secundoq; rerum successu difficilem

lem raro exemplo ſervaſtis: alieniſſima ab omni vindicta moderatione malorum acceleraſtis finem, procul oſtentatione & inſolentia felicibus adeo propria, ſapienter beneficio uſi eſtis divino. Inde patuit, non gloriam ex Civibus, ſed utilitatem Civium vos ſemper quæſiſſe. Tua hæc, Princeps, & ſuſcepto per Te in Nomen Regium, à Dantiſcanis fidelitatis Sacramento, & in omnibus Senatûs Conſultis, & ſemper, fuit ſententia, Tua vox: & rationes conditionemq; temporis obſervandam eſſe, & omnes æquali natos, æquali gaudere jure, & libertatis rationem omnem haberi oportere. Qua ſapientia Tua, Tuis præterea in ſedanda illa flamma & procella laboribus, Tuis curis, conſilijs, ſtudijs, conatibus, quantum juveris ad pacem Patriæ reſtituendam, ad componendos fluctus, ſpectavit ipſa, & quamdiu his agitata tempeſtatibus fuit, & in ipſis Comitijs exoptatæ *Pacificationis* Reſpublica. Eaq; gratum univerſorum animum & exiſti-

Deputatus ad Conſtitutiones.

mationem de Te ſignificatione, ſingulariter Tibi teſtari voluit, quod Te Præſidem primumq; Senatorem, ad conficiendas & authoritate publica muniendas eorundem Comitiorum leges, adeo Majeſtati juxta Libertatiq; glorioſas, perenni Tui Nominis gloria deſtinarit.

Præſidens Tribunalis Regni Radomiæ.

Pace itaq; Patriæ reddita, qua omnium animi ita coaluerunt, ut ſi omnes, nihil aliud quam id quod evenit, voluiſſe viderentur; cunctorum ſtudia ad Rempublicam incredibili unanimitate converſa ſunt. Eam in Republica juvanda conjunctionē arctiſſimā, & indiſſolutis colligatam vinculis, ipſemet Princeps non longe poſt Comitia expertus es, quando cum Adamo Tarło Palatino Lublinenſi Supremo Prœfecto Supremi Radomiæ Tribunalis, Tu ſacros Præſidis ejuſdem Tribunalis geſſiſti faſces, ubi crediderim, ſæpe Tibi tacite eam animo obortam voluptatem fuiſſe, hodieq; ſæpe oboriri, Te nimirum ad tranquillitatem Imperij, ad concordiam Civium revocandam, ad conciliandos animos & ſenſus de Republica, utiliter feliciterq; laboraſſe.

Acta poſt Comitia.

Jam quemadmodum eæ res, quibus cauſas motus continui natura indidit, ſtare loco nequeunt, ſed Cæleſtes orbes ſuos, ſydera ſuos, flumina, & maria ſuos curſus aſſiduo peragunt, ita magnis viris vis quædā eſt indita, quæ eos conquieſcere non ſinat, ſed ad continuum de Patria bene merendi ſtudium urgeat incitetq;. Hujus noſtræ opinionis veritas

ritas liquet in Te, Princeps, ſi geminos hos â Comitijs & reddito in ijsdem, Reipublicæ otio, inſpiciamus annos, quibus plurimi quaſi juſtitio indicto â Republica vacationem obtinuerant. Quid Tibi ex ijs ſupererit, ſi tantum inde demamus tēporis,quantū Præſul, quantū Senator, quantū ſupremus Judicij ab Ordinibus conſtituti Præfectus,cōmodis Reipublicæ conſecraris. A Pontificijs,quæ Te ſecundum Comitia occuparunt curis, perrexiſti ad Tribunal Regni Radomiam è ſacro Senatu Præſes, inde profectus es Liſſam, ubi iterum Præſes ampliſſimi illius à Republica ad tempus deſignati judicij, cauſas, quæ alias magnis difficultatibus agitaſſent Rempublicam, definires: Liſſa Frauſtadium ad Senatus Conſultum, paulo poſt Dreſnam ad referendum de Republica Principi, hinc Cracoviam ad boni Paſtoris munia,atq; Præſes ex ſacro Senatu ad deponendum Regni Theſaurum: in ſequentem annum eundem remenſus curſum, Radomiæ, Liſſæ, Frauſtadij, Cracoviæ,quanto illo virium, fortunæ, ſalutisq; propriæ impendio rebus Eccleſiæ Patriæq; ſummam navaſti operam? quaſi id oſtendere velles, quod in benemerendo de Republica defatigari non poſſis.

In ipſo vero pulcherrimo rerum tantarum curſu, illuſtris ille,qui fortaſſe Tibi unquam in vita affulſerit, illuxit dies, quo univerſis lætiſſimum ab Urbe Nuntium, relatum Te eſſe inter *Principes populi DEI*, & prima ſacri Honoris inſignia, Cracoviæ, in illa vetuſtiſſima Regum: Tuiq; Pontificatus ſede, accepiſti. Ibi præſentium tum numeroſiſſima Procerum corona, ibi frequentiſſimus quaſi ſigno dato, ampliſſimi *Capituli* Tui, Sacerdotum, Academiæ, & Religioſorum Ordinum, Magiſtratus & populi, fauſta & proſpera omnia Tuæ Purpuræ precantium,concurſus, & acclamationes, ſatis docuerunt, quo ſenſu univerſa Respublica novum hoc Tuæ Purpuræ ſidus deinceps eſſet excepturà. Secutæ paulo poſt undequaqve illuſtrium Patriæ Civium, Senatorum, Antiſtitum, Ipſius vero maximè optimi gratulationes Regis, ut qui præclara ſua de Te judicia, ita magnifice à ſupremo Religionis Capite approbari, majorem in modum gaviſus ſit. Et quandoquidem non unius jam Patriæ, ſed totius Chriſtianæ Reipublicæ bono id evenit, exceperunt domeſticos applauſus, honorificentiſſimæ ab ipſo ſummo Eccleſiæ Moderatore, ab Imperatore Chriſtiano,

Cardinalis factus.

ab alijs Othodoxæ Europæ Regibus & Principibus, præcipue vero à Purpuratis ſacri Senatus Collegis pro more literæ, quibus omnes tantum in dignitate Tua Chriſtiani Imperij rationibus acceſſiſſe decus & columen, certatim gratularentur.

Atq; hoc illud eſt tandem Eminentiſſime PRINCEPS(ut ad id quod principio dicendi propoſuimus, & quo hucusq; noſtra tendebat Oratio revertamur) hoc inquam eſt, Princeps, quod toti orationis Noſtræ Argumento ſummam evidentiam, claritatem, maximamq; vim & robur adijcit, ab hac nimirum, quod diximus, Tua Purpura, eximijs Tuis in Patria & Eccleſia rebus geſtis, virtuti, Sapientiæ & meritis Tuis copioſiſſimam lucem ſplendoremq; affundi. Ea enim, quæ de genere, educatione, peregrinatione, doctrina, initijs & primis gradibus Sacræ Tuæ fortunæ, quæ de ſacris Magiſtratibus, de omnibus Miniſtri partibus à Te laudabiliter adimpletis, de Senatorijs & Pontificijs Tuis faſcibus, quæ de ſingulari Coronati à Te Regis Reginæq; honore, de tranquillitate Reipublicæ Tuis magna parte curis & ſtudijs reſtaurata, quæ de omnibus Reipublicæ curulibus & ſubſellijs virtute & ſapientia Tua exornatis, hactenus innuimus potius, quam tractavimus, ea ſane omnia melius hodie elucent, illuſtrius vibrant, apparent ſpectanturq; clarius penes maximum Romani hujus lumen Muricis. Vel ut magis dilucide ſenſa noſtri proferamus animi, ex quo inter Purpuratos Eccleſiæ Proceres cooptatus es, Nomen Tuum longe lateq; diffunditur, res Tuæ avidius à cunctis etiam remotiſſimis explorantur, leguntur, audiuntur, laudabilis hic vitæ Tuæ curſus latius per Chriſtianam Rempublicam innoteſcit, proximas diſſitasq; Gentes fama rerum pervagatur Tuarum.

Accedit id vero potiſſimum ad magis magisq; illuſtrandam dignitatem Tuam, quod nedum merita Tua præterita, ſi dici præterita poſſunt, ſed & præſentes Tui pro Republica labores, & res quas etiam-num pro ſolenni Tuo in Principis, Patriæq; commodum geris, magnificentius jam ſplendidiusq; in Te Cardinali eluceſcant. Conſtat enim, honorem, in Te nihil omnino antiqui moris, nihil ſtudij voluntatisq; in bene merendo de Republica & Civibus, immutaſſe, niſi quod majorem rebus Tuis amplitudinem adjecerit

cerit, majorem Tui venerationem imperaverit. Continuatæ ſiquidem in ſacra jam Purpura Supremi Radomienſis Tribunalis, & Liſſenſis, Sacræ Præfecturæ, documento ſunt, quod ſtatueris, perinde ùt prius prodeſſe Patriæ, & velificari favori Civium. Tantum itaq; abeſt, ut Cardinalis dignitas Te præpediat ne mereri velis, potius ut Te magnopere juvet,ut illuſtrius de Republica merearis. Titulis quidem Superior, æqualitatem cum Civibus vel èx eo Te profiteri liquet, quod ijſdem ut prius cum cœteris pro bono publico hodiedum laboribus & muneribus vaces. Honores ſcilicet Reipublicæ æque Tibi cari ſunt Cardinali, ut fuerunt Polono Equiti, Polono Senatori. Præterea humanitas Tua, atq; illa, qua in Principibus nihil eſſe ſolet aut gratius, aut venerabilius, erga cunctos affabilitas, tanta ineſt Tibi, ut in hoc eminenti loco, quamvis ſemper fueris, nunc etiam humanior & popularior eſſe omnibus videare. Noſti ſiquidem rara quadam arcanaq; ratione, Majeſtatem honoris cum juris æqualitate conjungere, magnificentia, liberalitate, & ſplendore inſigni, modeſtia pari, authoritate, quam dignitas, facilitate, quam natura infudit, ubiq; ſpectatus. Semper hæc in Te Princeps obſervata, nunc etiam multo magis, & oblectant & placent. Atq; jam inde quivis facile intelligit, rectene id ita initio dicendi ſtatuimus, ad illuſtrandas nempe res Tuas, Tuam famam, Tua recte facta, virtutes Tuas, magnam vim Sacræ Tuæ ineſſe Purpuræ.

Sed nec mediocrem ab ea lucem in Rempublicam quoque derivari. Quod quanto verius atq; evidentius ex ſemet eſt, tanto minore nobis eſt opus induſtria, ut quantum hoc honoris Tui ſplendore univerſam illuſtraris Rempublicam, oſtendamus. Omnibus ſane gentibus Chriſtianis, juxta Regium, ſanctum & venerabile eſt Cardinalium Eccleſiæ Romanæ nomen. De dignitate hac, cunctæ nationes, & conſentiunt eam eſſe maximam, & eandem cunctæ exoptant ac ambiunt, & cunctæ illam ſibi, quamvis uni contigerit, gratulantur. Ornamentum ergo omnibus Nationibus & Populis tantopere quæſitum, Tuæ Princeps, in Te acceſſit Patriæ. Illius enim clarus Civis eſt, qui Eccleſiæ adnumeratus Principibus, ea authoritate pollet, qua Religionem, Sacrorumq; noſtrorum Sanctitatem & ceremonias tueatur,

Quantum ab inde ſplendoris Reipublicæ.

atur, qua totam rem Christianam consilio & virtute fulciat, qua summum Christianæ Reipublicæ Principem & Pontificem rarissima suffrangandi prærogativa eligat, aut ipse quoq; possit eligi, qua sacer Senator, ad illum Senatum suo jure pertineat, in illo Curulim Senatu occupet, quo nullus in Orbe augustior visus, cui mire conveniat illud Legati Græciæ de Romano veteri Senatu judicium, se totidem Romæ Reges quod Senatores spectasse. Quæ jam inde Principis nostri dignitas? quæ nostri Senatûs? quæ Ministrorum gravissimi Consilij, quæ Præsulum? quæ Equestris Ordinis? quorum cuilibet singularis & propria adest de hoc Tuo honore cum lætandi tum vero etiam gloriandi causa. Quæ inde præterea & antiquissimi LIPSCIORUM Nominis ac Gentis claritudo? quæ summum, suum, sibiq; maxime proprium, in hoc tanto Principe adepta est decus; quanquam illi quidem à plurimis in Republica per tot sæcula Optimatibus satis famæ honorisq, accesserit, quemadmodum & hac tempestate accedit, à sapiente, de Majestate & Republica bene merito, virtutis, laudis & existimationis plenissimo Senatore IOSEPHO LIPSKI, Castellano Belzensi; à Procopio Præfecto Sremensi, Vexillif: Posnan: quē maiorū vestigijs insistentem majora in Republica manent præmia; & ab alijs, qui sui dignitatem Generis pari exornant gloria. Quis ille adhuc splendor inde oritur tot præstantissimis nobilissimisq; in Republica Familijs? quibus affinitas & necessitudo sangvinis cōmunia & domestica cum LIPSCIORUM stirpe hæc fecisse videtur decora. Quanquam, si verum fateri oportet, nunquam ego hæc decora ita esse domestica aut uni Genti propria existimē, ut non ad Patriam potius, præcipuo pertineant jure. Quis itaq; inde potius toti Patriæ veræ cujusdam voluptatis sensus exoritur? talem genuisse, per quem illa honore & gloria floreat, cujus exemplo posteros ad laudem incitet, cujus virtuti præmia, quamvis domi maxima, non satis respondere videntur, nisi ad illa universalis quoq; & summus meritorū Arbiter Romanus Pontifex aliquid de Suo contribuat. Quæ inde deniq; Reipublicæ amplitudo? hunc, qui inter Christianæ Reipublicæ Principes tam illustrem tenet locum, æquo cum cæteris jure vivere, hunc versari in Patrijs Magistratibus, & munijs, hunc obtentu honoris, quo præstat, à communi pro Republica labore & æqua

meren-

merendi conditione non ſubtrahi, hunc non minorem ab æquali Nobilitatis Patriæ naſcendiq; fortuna, quam ab externis ornamentis gloriam quærere, hunc deniq; Sacris ſplendoribus Patrias ſellas curulesq; ornare, & ab ijsdem viciſſim ornari.

Gratiæ ergo ſint, quam poſſunt eſſe maximæ, Regi noſtro, ſapientiſſimo Optimoquè Principi, quod ampliſſimæ hujus Dignitatis gradum, Reipublicæ adeo honorificum, reſtituerit, & ſydus Purpuræ hujus, cujus lucem iam inde à JOANNE III. Rege maximo, exoriri non vidimus, Patrio reddiderit cælo. Juſte id quidem & provide. Fructum enim pulcherrimi Juris (quod cum diademate omnibus Coronæ gemmis præſtantius accepit) ad Rempublicā pertinere putavit. Quod quidē certiſſimum eſt Boni Principis argumentum, ſuos potius ornare quam exteros, cives quam alienos beneficijs propiores credere. Præterea ſint magna omnia, ſint ſplendida, ut revera magna, & ſplendida ſunt, optimi Regis noſtri publice privatimque opera, illud enim vero præclariſſimum in ijs eſt, in tanta fortuna, memoria amicitiæ, grata officiorum & obſequij recordatio, rara quidem illa, ſed vere regia virtus, divinæque ſimillima.

Fruere ergo jam Eminentiſſime Princeps, longa, quantū mortalibus a Deo Opt. Max. fas eſt precari, ætate, hoc Regis, quo gratiam tuis refert meritis, hoc tanto ſummi Pontificis, quo Rempublicam perinde ac tuam dignitatem exornat, illuſtri beneficio. Cumque de Chriſtianæ Reip: & Patriæ rationibus cogitas, dignum id quoque Te, dignum tua ſapientia eſſe crede, & Privatorum rebus, & huic, quæ defenſioni, Patrocinio, Fideiquæ tuæ ſe totam committit, Scholarum Piarum Congregationi, opem & præſidium ferre.